

11  
1.  
2 \*  
3.  
4.  
5.  
6.



103.  
1776, 18.  
QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN

HOMINES PROPRII TENE-  
ANTVR REDIMERE SERVITIA DO-  
MESTICA SEV DIE ZWANG-  
DIENSTE, SI AD EA PRAE-  
STANDA PARATI,

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT. ET SOCIETAT.  
LITERAR. DVISBYRG. SOCIO

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XIV. FEBR. ANNO MDCCCLXXVI.

DEFENDET

IEREMIAS ERHARD HVBRIG


WIGAND. VALLENS. LVSAT.

---

LIPSIAE  
LITERIS RVMFFIIS.

QUESTIO  
SICUTI CONTRA  
HOMINES IN OMNIBUS  
ARTIBUS ET IN  
SOCIETATE  
SICUTI IN OMNIBUS  
ARTIBUS ET IN  
SOCIETATE  
SICUTI IN OMNIBUS  
ARTIBUS ET IN  
SOCIETATE





AN  
HOMINES PROPRII REDIMERE  
TENEANTVR SERVITIA DOMESTICA  
SEV ZWANGDIENSTE, SI AD EA  
PRAESTANDA PARATI.

---



§. I.

Iam olim diximus de *Gasindis* hodiernis necessariis ex *Ture* des **Dienstzwanges**. Et satis constat, non tantum homines proprios teneri ad ea domestica servitia in familia domini praestanda, sed et rusticos, quos habemus quosque imperfecte liberos recte dicimus, saepissime ad ea ipsa servitia praestanda adeo lege obligari. Est quidem verum, proprietati hominum haec servitia originem debere, quamvis teste TA-



CITO de Mor. Germ. cap. XXV. antiquissimi populares non in morem romanum descriptis per familiam ministeriis uterentur; tamen, a quo tempore in Romanas irruperant prouincias eorumque vitae cultum cognouerant atque, quas ferrebant serui iis ciuibus commoditates, perspexerant, videntur ab his Gasindorum vtilitatem didicisse. Hinc apud Longobardos et Francos Italicarum Prouinciarum Victores prima *Gasindorum* mentio occurrit, vt patet ex LL. RACHIS, LVITPRANDI ET PIPINI. Hinc mansit is mos, vt propriorum hominum liberos aequae homines proprios ad domestica seruitia cogerent. Quo venit, vt posteriori aetate Legibus Prouincialibus haec seruitia domestica necessaria ordinarentur et circumferberentur. Probant diuersarum Prouinciarum Ordinationes Politicae et *Leibeigenthums*, Ordnungen, quas nominare superfluum,

### §. II.

Quae vero iura inter proprios homines de coactis illis seruitiis domesticis praestandis sanciuerant, ea in rusticis imperfecte liberis quoque deprehenduntur. Debebantur in hominibus propriis illa necessaria seruitia ex dominio, quod in proprii hominis corpus habebat dominus. Iam vero in rusticis illud ius dominii cessat, inde concludi posset, illud seruitiorum genus a rusticis exigi non posse; quippe, cessante causa, effectus omnino cessat. At vero cum vnus effectus plures possunt esse causae, atque experientia docet, omnino rusticorum liberos obnoxios teneri, qui praestent seruitia familiaria illa den *Dienitzwang*, necesse est, vt huius obligationis causam quaeramus aut in pactis postea inter dominum et rusticum initis, aut in praescriptione, donec ea legibus postea confirmata. Inde est, vt leges expresse iubeant, vt respiciatur ad pacta atque

arque ad Consuetudines. Quapropter Neue Gesindeordnung d. A. 1735. Tit. 7. expresse constituit: Wider die Erbgüter und dergleichen Dienstverträge ist kein Proceß zu verhängen, sondern die Differenz ist sofort von der Obrigkeit ohne Weitausfigkeit zu entscheiden. Neque vero illa obligatio ad seruitia praestanda tam generalis est, vt omnes omnino rusticorum liberi cogantur ad ista seruitia praestanda, sed restrictio legibus data est, quaeque communis etiam in propriis hominibus esse potest.

### §. III.

Hinc si parentes rustici egeant operis domesticis liberorum immunitatem lege habent a seruitiis domino praestandis necessariis, quod in ORDIN. POLIT. SAXON. d. A. 1661. Tit. XXIII. §. 3. expresse dispositum. Hac immunitate gaudent ii liberi, qui propriam oeconomiam rusticam sibi constituunt, vtpote si filius rustici vel hominis proprii fundum sibi rusticum acquirat, aut inter proprios homines, si a Domino glebam accipiat, vt propriam suam familiam constituat. Imo, si conditio nubendi obuient filiae, immunem pronunciat lex a necessitate seruitiorum praestandorum v. cit. ORDIN. §. 4. quamuis seruitia illa nondum praestiterit.

### §. IV.

Haec vero ipsa immunitas ex matrimonio proueniens ansam praebuit quaestioni nostrae: *An redimere teneantur illa seruitia, si parati fuerint ad ea praestanda.* Fac, filiam hominis proprii exhibitam domino ad operas domesticas necessarias praestandas, illam vero nec electam esse ad seruitia illa, nec illius seruitiis vti potuisse dominum, cum illa seruitia non deficerent: post nubendi conditionem ob-



tinet illa filia familias: Dominus cum contracto matrimonio seruitia illa necessaria amplius exigere nequeat, postulat, vt soluto certo pretio seruitia redimat seque praestito illo censu a necessitate seruitiorum praestandorum liberet. Videndum itaque est, an iuste hunc censum dominus exigat.

§. V.

Constat matrimonia hominum priorum non nisi domini consensu contrahi posse, quem in finem pro redimendo illo consensu census Marcheta seu Maritagium soluendum. Non inquiram, an illa Marcheta ex iure deflorationis proueniat, vt multis visum est, de qua opinione eleganter et multum disputat GRYPEN in *Vxore Theodisca diuers. loc.* Saltem hoc vnicum videretur monendum, non adeo accurate hanc conuenire explicationem cum sepra illa pudicitia, quam de Germania populis laudat TACITVS de *Mor. Germ. Cap. XIX.* Sed quidquid sit, vbi ea Marcheta superstes, redimitur illa domini consensus in nuptias contrahendas. Quare, si ab homine propria maritagium dominus exigat, quoties et in quibus locis illud receptum adhuc, recte exigitur, sed ea non confundenda cum censu exacto ad redimenda necessaria seruitia. Neque ille census confundi debet, quam dominus recte exiget, si homo propria nubat homini libero, atque ex seruitute dimitti velit, scilicet census affrancationis. Hunc omnino censum recte exiget, cum cogi nequeat, vt gratis suum ius remittat dominus. Alia vero ratio est illius pecuniae exactae propterea, quod nondum seruitia illa necessaria in aede et familia domini praestitit.

§. VI.





## § VI.

Ante omnia vero in decidenda haec causa spectanda sunt pacta, si quae inter dominum hominesque proprios inita, per quae census ille promissus sit, in casum, si filia nondum praestitis seruitiis domino domesticis matrimonium sit contractura. At ubi ergo tale pactum existit, frustra est, quod disputemus. Ubi vero non existit, nec forsitan lex specialis iubet, nunquam domino ius competere potest, huncce exigendi censum. Nam seruitia semper in natura praestanda sunt, neque forsitan, quae de Iure Saxonico in Operis rusticis praestandis dicuntur in CONST. ELECT. IV. P. II. huc applicanda. Quodsi ergo homo propria domino oblata ad seruitia atque ad ea praestanda parata fuit, a solo venit domini arbitrio, quod eam inter Gasindos non receperit. Ubi ergo dominus culpam habet, quod haecenus seruitia illa non exegerat, ipse vero probe cognitum habebat, per matrimonium liberari eam seruam a seruitiis praestandis; nulla datur ratio, cur pecunia hac redimat serua immunitatem a seruitiis, quippe cui non imputari possunt non praestita seruitia. Neque vero culpa exinde trahenda, quod ineundo matrimonio impediatur in futurum illa seruitia, quippe ipso iure matrimonium ex Lege eam liberat a necessariis seruitiis, neque vnquam vlla lege prohibitum, quo minus matrimonium ineat homo propria, nisi prius praestitis seruitiis.

## §. VII.

At quid! si iam seruitia illa domestica subire inceperit, et post nubendi conditionem inuenerit, an tunc censum seu pecuniam exigere possit dominus, quo redimat seruitiorum praestandorum reliquum tempus? Saltem si ex  
Lege



Lege Saxonica iudicamus, vbi ad biennium domestica illa  
 seruitia adstricta, ORD. POLIT. *cit.* §. 4. annus tunc suffi-  
 cere statuitur, si matrimonii celebrandi occasio obuenerit,  
 sed nec annum expectare debet seruiens, sed sufficit, si  
 alium in suum locum domino offerat, qui reliquum serui-  
 tiorum tempus seruiat. At haec de rusticis agit Lex. De  
 hominibus propriis vero, an idem sentiendum, quaeritur.  
 Putem ad semel suscepta seruitia seruum seruamue tene-  
 ri, nisi remittere velit dominus aliquid de tempore.  
 Quoties vero remittit, dominus neque absque consen-  
 su domini matrimonium celebrare potest et inter-  
 dum domini consensus maritaggio praestito acquiri-  
 tur, in eo maritaggio acquiescendum erit domino. Vbi  
 vero ille census in vsu esse desit, neque dominum cogi  
 posse putem, vt a suo iure seruitiorum exigendorum et  
 iam succceptorum quid remittat, eaque, quae superiori ca-  
 su adesset domini imputatio, putem, vtique iniuste domi-  
 num haud agere, si quid pecuniarum exigat pro remissis  
 seruitiis, nisi obstat peculiaris lex vel conuentio. Neque  
 dominus iniuste ager, si sponte homo propria offerat in-  
 demnitatis loco pecuniam, vt de reliquo seruitiorum tem-  
 pore dispenset. Volenti enim tunc seruae iniuria inferri  
 nequit.



P 488

Leipzig, Diss., 1776 A-G

ULB Halle 3  
004 853 253



f  
TA-706

aus 34 Sten. bisher verku.

VD  
18



1776, 18.



QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
HOMINES PROPRII TENE-  
ANTVR REDIMERE SERVITIA DO-  
MESTICA SEV DIE ZWANG-  
DIENSTE, SI AD EA PRAE-  
STANDA PARATI,

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE  
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESS. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT. ET SOCIETAT.  
LITERAR. DVISBYRG. SOCIO

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XIV. FEBR. ANNO MDCCCLXXVI.

DEFENDET

IEREMIAS ERHARD HVBRIG

WIGAND, VALLENS. LVSAT.

---

LIPSIAE  
LITERIS RVMPFIIS.